

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

De Divina Psalmodia, Ejusque Causis, Mysteriis, Et Disciplinis, deque variis
Ritibus omnium Ecclesiarum in psallendis Divinis Officiis, Tractatus,
Historicvs, Symbolicvs, Asceticvs. Sive Psallentis Ecclesiae Harmonia -
Opus novum, & curiosum, ac multiplici eruditione illustratum ... Operum ...

Bona, Giovanni

Parisiis, 1678

§. XVI. De Capitulis. Capitulum quid sit. Quare singulis horis, & quo ritu
recitetur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9929

ratio conveniat. Nocturno tempore longiores, diurno breviores recitantur lectiones, quia nox ad contemplandum, dies ad agendum tributa videtur; contemplatio autem longior, actio brevior esse debet, quia qui minoratur actu percipiet sapientiam. Tempore Paschali in fine Responsorii adjungitur *Alleluia*, quod laetitiae additamentum & gloriam Dominicæ Resurrectionis respicit, & ferventius benè operandi studium sacris illis diebus ostendit.

§. XVI.

DE CAPITULIS.

Capitulum quid sit. Quare singulis horis, & quo ritu recitetur.

I. **B**Revis quædam lectio è divinis librís deprompta, quam in singulis Officiis recitamus, à (a) nonnullis antiquioribus collectio, lectianula, & versiculus dicebatur, à D. autem (b) Benedicto lectio, ab omnibus communiter Capitulum nuncupatur. Hujus nominis ratio est, quia Capitula ut plurimum brevia capita sunt Epistolarum, quæ in Missa leguntur. Est autem Capitulum, teste S. (c) Anselmo, brevis multorum complexio, sic dicta quia breviter capit totam summam. Nam per hoc quod diminutivum est Capitulum, designatur brevitas: & per hoc quod venit à capite, vel à capio, intelligitur quod magnum sensum capiat, & sit breve caput multorum, quæ latè disseuntur. Notat Baronius ad diem 12. Novembris antiquissime nomen Capitulorum in Ecclesiasticis Officiis, alterius tamen significationis ab ea qua nunc accipi solent. Erant enim preces quædam prolixiores in ho-

a Conc. Agarense cap. 30. b Benedicti in Reg. cap. 13, & 17. c Anselm. S. quicquid est auctor in c, s. ad Hebr.

730 DE SINGULIS PARTIBUS

norem Sanctorum vel solemnitatum, ut constat in Epistola Vigilii Papæ ad Eucharium. Capitula secundum alias breves quædam partitiones sunt, & in solo Evangelio Marci erant olim 235. A Joanne (*d*) Chrysostomo *αἰτιοθαλαῖτως* sive Capitulum reductio in summam dicitur, cùm quæ prolixè dicta sunt compendiosè dicuntur. (*e*) Xenophon totius rei summarium *κερδίσας* id est Capitulum vocat. (*f*) Plato eadem voce utitur pro eo quod in aliqua re summum, & principium est. Notat Ven. (*g*) Beda exemplo gentis Israëlit, quæ tempore Esdræ legebat in volumine legis quater in die, hunc morem in Ecclesia inoluisse, ut per singulas diurnæ Psalmodiæ horas lectio una de veteri, sive de novo testamento cunctis audientibus ex corde dicatur: & sic Apostolicis, sive Propheticis verbis confirmati ad instantiam orationis genua flectant. Horis nocturnis plures lectiones, & longiores dicuntur, quia tunc à laboribus operum cessantes liberiores aures divinis auscultationibus accommodamus. Stamus ad diurnas, quia breviores. Non præmittitur benedictio, quia à Prælato, vel Sacerdote dicuntur, cuius est aliis benè precari. In fine non dicitur, *Tu autem Domine*, quia in brevi lectione facilius est culpam evitare, cum præsertim à viro perfectiori recitetur. Sine titulo leguntur, quia Sacerdotes docti esse debent in divinis Scripturis. Sermonibus autem sanctorum Patrum titulus præfigi solet, quia multiplicem eorum doctrinam non omnes Ecclesiastici viri, vel scire possunt, vel eius meminisse si sciunt. Post Capitulum respondemus *I o gratias*, ut pro singulis gratiæ donis gratias agentes locum gratiæ faciamus in nobis, & cum gratiarum actione petitiones nostræ innotescant apud Deum.

d Chrys. ad Ephel. Hom. 1. *e* Xenoph. libro 6. Cyri pæd. *f* Plato 1. de legib.
g Bedalio. 3. expol. in Esdr. c. 28. 2. Esdr. 9. 3.